

vertendum est, in laudato canone, non vetari e sum sangvi-  
nis expresso interdicto, sed commendari hactenus rece-  
ptam, ut diximus, consuetudinem. Ita etiam explicanda  
sunt, qvæ ex Cyrilli Hierosolymitani Catech. IV. annotantur.  
Scribunt Apostoli & Seniores omnibus gentibus communem catho-  
licam Epistolam, ut in primis idolothytis abstineant, deinde & san-  
gvine atque suffocato. Nam hominum multi feri & immanes,  
more que canino viventes, sanguinem lambunt agrestium & feroci-  
um belluarum inter suffocata devorant abunde. Tu autem servus  
Christi cum sis, comedens, reverentia modestiaque adhibita co-  
mede. Si tamen hæc accuratius ponderemus, libertati  
Christianorum defensæ hactenus testimonium potius præ-  
bebunt, qvam ut eidem adversentur. Nil enim loquitur  
Cyrillus de necessitate ex mandato Apostolorum; sed com-  
mendat illorum curam, ad illamqve modestiam Christiana-  
nam vult collinearri. Culpato enim more gentium bestiali  
in lambendo sanguine, in genere loquitur, qvomodo co-  
medendum sit adhibita modestia & reverentia qvicqvid ap-  
ponatur, licet ob receptam consuetudinem fortassis non  
adeo aperte sustineat loqui. Chrysostomi expositio Homil.  
XXXIII, in Legem Apostolicam integre ita habet: Nihil  
oneris amplius imponendum vobis. Hæc dicunt, qvoniam ad in-  
firmos homines sermo erat, & qui timuerant. Idcirco & hoc ad-  
iectum est. Cæterum ostendit, non esse sermonem ad gratifican-  
dum compositum, neque ad parcendum illis, quasi infirmis, sed con-  
trarium. Magnus enim & Doctorum pudor fuisset, superfluumqve  
fuisset onus. Vide brevem epistolam nihil abundans habere, neque  
epicheremata, neque syllogismos, sed imperium erat aut legislatio  
Spiritus. Distinguendum qvam maxime vult Chrysostomus in Epistola Apostolica onus, qvod vocatur, a necessariis,  
qvæ consuluntur. Onus erat postulata a Judæis Antio-  
chenis circumcisio, & cum hac præstatio Legis totius Mo-  
saicæ. De hac differit Chrysostomus, non de necessariis ex  
consilio. Igitur Judæorum respectu non erat sermo com-  
positus ad gratificandum, qvod coniunctum fuisset cum  
pudore Doctorum superfluum onus imponentium; Et hæc  
legisla-